Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ULB Düsseldorf
+3049 784 01

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

1097

# MEMORIA

# IOANNIS TOBIAE MAYER

IN

CONSESSU SOCIETATIS REGIAE SCIENTIARUM

D. VII. MAII MDCCCXXXI

COMMENDATA

AB

IO. FRID. BLUMENBACH.

GOTTINGAE

TYPIS DIETERICHIANIS.

MDCCCXXXII.

Benz.
1097

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Benz. 1897
fi

STERNWARTE DER STADT DÜSSELDORF

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Quinta jam vice ex muneris et pietatis officio triste mihi suscipiendum est negotium defuncto Societatis sodali in consessu nostro parentandi.

Quatuorviris, quorum memoriam hactenus recolere mihi incubuit, *Richtero*, *Crellio*, *Osiandro* et *Bouterwekio*, successit jam desideratissimus collega Ioannes Tobias Mayer, vir multis nobis nominibus lugendus, maxime mihi, cui contigit, cum ante hos LIX annos studiorum causa almam nostram Georgiam Augustam adiveram, ut primis statim post aduentum diebus in eius notitiam venirem, quae mox ad familiarem consuetudinem ab eo inde tempore crevit.

Coaetaneus mihi fuit, utpote qui senis saltem diebus ante me lucem aspexit tertio nonas Maii anno praeteriti seculi LII.

Patrem habuit virum summum *Tobiam Mayerum*, itidem quondam nostrum, et cuius institutioni, et post praematurum eius obitum per omnem vitam sancte seruatae tanquam exemplaris in studiis suis memoriae, quantum debuerit filius, paternae virtutis doctrinaeque haeres felicissimus omni modo testatus est.

Adeoque, etsi conscius sim sententiae *Ulyssis Laertii*, qui genus et proavos et quae non fecimus

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ipsi, vix ea nostra vocat, eo magis tamen eius memoriam hac occasione in hocce nostro consessu renovare licet, cum praeter tantum filium, quem ipsi debuimus, etiam inter primos et principes fuerit, qui ad famam sodalitii nostri per Europam litteratam commentationibus ipsi oblatis maxime contulerunt, ex quorum numero vel nouas eius tabulas motuum solis et lunae, et tabularum lunarium usum in investigenda longitudine maris meminisse sufficiat.

Obiit quidem ante diem Mayerus pater nondum quadragenarius et quidem, quod *Pütterus* in tentamine historiae universitatis nostrae litterariae refert, proxime ex gravibus molestiis durante obsidione gallica circulos suos importune turbantibus.

Tanto vero patre puerili jam aetate orbatus filius (idque diu antequam Senatus Britannici decreto praemium constitutum pro tabulis lunaribus ad longitudinum reperiundarum rationem adiuvandam haeredibus esset persolutum) anceps et dubia fuisset eius conditio, nisi *Kästnerus* eum paterna plane cura amicissime amplexus esset.

Postquam vero ter senos adoleverat annos in universitate patria primum theologico studio sedulus se voverat, cum casu quodam *Euclidis* elementa et theoremata in manus eius inciderent, quorum lectione tantopere capiebatur, ut totum nunc se mathematicis et physicis disciplinis dicaret, et theologicas praelectiones derelinqueret, inscius forte sive oblitus, sive paterno exemplo ab incunabulis aliter edoctus, decreti celebris philosophi neoplatonici Pici Mirandulani, qui nihil magis nocivum theologo nude asseruerat quam frequentem et assiduam in mathematicis Euclidis exercitationem.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Ab eo vero inde tempore inter privatim apud nos docentes per integrum fere septennium scholas habuit istarum disciplinarum, donec eodem scopo ut prof. publicus ordinarius ad Altorfinam vocabatur academiam, nunc quidem pridem abolitam et jam antea modice saltem frequentatam, verum ob multifaria commoda et vitam, aeque socialem collegarum ac frugalem, ipsis exoptatam, quod praeter Mayerum alius quondam noster sodalis meritissimus *Gatterer* itidem antea prof. Altorfinus saepe testatus est; aeque ac in memorabili autobiographia *Sal. Semler*.

Deinde Erlangam vocatus easdem praelectiones habuit, usque dum ante triginta binos annos post obitum *Lichtenbergii* nostri, dignissimus eius successor in almam Georgiam Augustam redux oblatam ipsi physices cathedram cum directione apparatus physici accepit, simulque inter Sodales ordinarios Societatis nostrae, eiusque mathematicae classis senior, relatus est.

Multimode autem cum scholis, quas sedulo habebat, tum scriptis utilissimis, inprimis vero commentationibus doctissimis quas in consessibus societatis recitavit, de munerum officiis religiose servatis egregie meruit; in universum vero fructuosa ratione, qua mathesin sublimiorem physicae disciplinae junxit.

Et quidem in scholis suis admiranda excellebat dexteritate et facilitate, quibus experimenta spectatoribus in auditorio publico demonstrabat, singularis sane naturae dos, quae, ut de poëtis dicunt, nascitur, non fit et quam Latinorum Hippocrates, *Corn. Celsus* alio fine ad vulnera medica manu tractanda summe necessariam requirit; quam vero passim in aliis professoribus physices, pridem vita defunctis, cetera de studio suo meritissimis, aegre desiderabant auditores eorum.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

In libris vero eius didascalicis s. compendiis isagogicis succinctam brevitatem et ordinem concinnum perspicuae claritati junctam videmus; et quod inprimis magnae laudi tam in his quam in universo studiorum suorum decursu MAYERO tribuere oportet, quod nullius addictus jurare in verba magistri, nulli systemati, etiamsi diu de eius certitudine sibi videretur persuasus, meliora postea edoctus eidem lubens valediceret.

Cuius masculae in disciplina physica mutationis maxime memorabile documentum dedit, cum pridem phlogistico systemati adhaerescens, primus inter Germaniae physicos classicos de certitudine antiphlogistici s. Lavoisieriani persuasus et convictus argumentis et experimentis novam doctrinam ad ipsam naturae veritatem ita demonstraret, et contra celebrium adversariorum, *Grenii* inprimis et sodalis quondam nostri et prof. Gottingensis honorarii *de Luc* aliorumque (qui phlogistico systemati pertinaciter adhaerebant), tam egregie defenderet, ut ab eo inde tempore tanquam reformator chemiae ad physicam disciplinam applicatae inter Germanos doctiores merito inclaruerit.

Quod vero proxime ad Mayeri de sodalitio nostro (cui ultra triginta annos adscriptus fuerat) merita attinet, tredecim praelectionibus magni momenti eius commentationes ditavit.

a. nempe MDCCCI. Commentat. Vol. XV.
An varia caloris phaenomena pendeant ab actione peculiaris materiae calorificae, an potius dynamice explicanda sint, praecipue ex legibus secundum quas fit propogatio caloris.

a. MDCCCIII. Commentat. Vol. XVI.
de halonibus sive coronis.

a. MDCCCVI. Commentat. Vol. XVI.
de adfinitate chemica corporum coelestium.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

a. MDCCCIX. Commentat. recentior. Vol. I.
de lege vis elasticae corporum.

a. MDCCCX. ibid.
de apparentiis obiectorum terrestrium et refractione lucis in atmosphaera nostra pendentibus.

a. MDCCCXII. Commentat. recentior. Vol. II.
de polaritate luminis.

a. MDCCCXIV. Commentat. recentior. Vol. III.
de usu accuratiori acus inclinatoriae magneticae.

a. MDCCCXV. ibid.
de apparentiis colorum, a polaritate luminis pendentibus.

a. MDCCCXVIII. Commentat. recentior. Vol. IV.
phaenomenorum ab inflexione luminis pendentium ex propriis observationibus et experimentis recensio et comparatio.

a. MDCCCXX. Commentat. recentior. Vol. V.
de arcubus coloratis inter duo vitra obiectiva seu plana conspicuis.

a. MDCCCXXII. ibid.
super legem actionis vis electricae repulsivae in distantiam experimenta et disquisitiones.

a. MDCCCXXIV. Commentat. recentior. Vol. VI.
Lex Mariotti ex principiis theoreticis deducta.

a. MDCCCXXVIII. ipso hocce Vol. VII. contenta.
Determinatio quantitatis absolutae caloris, in dato corpore contenti.

ex quarum quidem praelectionum insigni numero, quae quidem omnes de ingenio ac solidiore doctrina tanti auctoris testantur binas tamen inprimis insignes nominasse liceat:

alteram nempe de adfinitate chemica corporum coelestium vel ex inde memorabilem quod in ea numerosis observationibus astronomicis collatis

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

aenigmaticos hactenus aërolithos lunari eruptioni deberi verisimillime demonstravit; alteram vero, de usu accuratiori acus magneticae inclinatoriae jam ad eius methodum in re Britannorum nautica studio amici et familiaris Societatis, Centurionis celebris *Sabine* eximio successu in usum versae.

Quantopere vero *Mayeri* ingenium et indefessa adsiduitas disciplinarum physicarum incrementis profuerit, praeter pauca ea, quae jam tetigimus, amplus sane catalogus scriptionum eius testatur in *Saalfeldii* historia recentiore academiae Georgiae Augustae, et uberior adhuc in divite et utilissimo ndice Recensuum Gottingensium litterariorum.

Quare eorum enumerationem denuo repetere eo minus huius loci esset, cum potius de ipsius desideratissimi *Mayeri* genio et gustu et vitae ratione aliqua commemoranda habeam, mihi ex multorum annorum necessitudine, quam cum eo alui, notissima.

Et quidem quod eius temperamentum — ut physiologice loquar — ceu fundamentum sanitatis cuivis homini propriae attinet, mixtum illud quidem ut in tot aliis humanissimis hominibus ex sanguineo et cholerico erat, ita tamen prius adeo longissime praevalebat, ut si ex celebris suo aevo philosophi, *Christiani Thomasii*, calculo mixturas istas in centesimas partes redigere, paucissimas saltem cholerico tribuere liceret, cum longe plurimae in sanguineo ita praevalerent, ut non nisi rarius et quasi per transennam in brevem sed cito defervescentem iram praeceps erumpere videretur, eadem plane ratione quam de magni *Leibnitii* perquam simili temperamento refert *Eccartus* coaetaneus eius et Hannoverae diu ipsi familiaris.

Artium quoque elegantiorum *Mayerus* fuit studiosissimus, musices praesertim et artis graphicae.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Illius, quam puer didicerat, amorem per omnem posthac vitam retinuit, non solum ut doctus judex, sed ut eam in clavichordio mascule factitaret.

Picturae vero studium a patre in ea perito artifice ingenitum, crevit postea exemplo et familiaritate fratris natu paulo minoris, *Georgii Friderici*, qui in ea arte Romae praesertim inclaruit; tumque diem suum Moscoviae obiit.

Verum quod in universum seriores praesertim desideratissimi collegae annos beatos reddidit, exemplaris plane erat et indefessa cura qua patrem pientissimum ad ultimum usque vitae halitum prosecuta est filia eius lectissima, omnibus qui eam propius norunt, maxime veneranda.

Hisce si addas praeter ea, quae modo de *Mayeri* felici temperamento dicta sunt, diaetam quoque qua utebatur, non quidem anxie, verum moderate et constanter, et quotidianas fere deambulationes quibus fruebatur, facilis est intellectu integra eius corporis animique firmitas, qua crudam viridemque senectutem peregit.

Et quod *Fontenelle* in Elogio Newtonis academiae Parisinae memorabile refert, ei non nisi semel tantum, et quidem seni grandaevo dentem secundarium quos perennes dicimus, excidisse, simile quidem etsi alia ratione et raro sane exemplo de *Mayero* novi, utpote cui proximo ante obitum anno tertiae dentitionis primordia prodierunt.

In viridi hocce senio varia etiam ipsi contigerunt conspicua memorabilia, ut duplex jubilaeum semiseculare. Alterum a. XXV. Doctorale, alterum anno proxime elapso Professorium quo et a diuo Rege Augustissimo ordinis Guelphici insignibus equestribus condecoratus fuit.



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Iam vero ad ultimam Sodalis conjunctissimi vitae periodum delatum me video, quam quidem favente divino numine breviter persoluit. Postquam enim auctumnalibus feriis Directorium Sodalitii nona vice susceperat et in anniversario consessu adhuc vegetus nobis interfuerat, paullo post gravem dyspepsiam cum viscerum aliquot abdominalium inflammatione contraxit qua pridie Calendas Decembres vir conjunctissimus, jam non amplius noster — ad coelites vocabatur, omnium, qui ut quidem ego familiarius cum eo vixerant, silens et moestum relinquens desiderium.

Memoria vero teneamus, monente *Seneca* philosopho, amissa bona, nec ipsis fructum excidere patiamur quem ex illis percepimus. Habere enim eripitur, habuisse nunquam.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Iam conjunctissimi vitae
periodu quidem favente di-
vino nu t. Postquam enim
auctumn Sodalitii nona vice
susceper essu adhuc vegetus
nobis in em dyspepsiam cum
viscerun ammatione contraxit
qua pri ir conjunctissimus,
jam no coelites vocabatur,
omnium iarius cum eo vixe-
rant, sil desiderium.

Me ente *Seneca* philo-
sopho, tum excidere patia-
mur que bere enim eripitur,
habuis

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf